



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli  
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola XI. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

## EPISTOLA XI.

E I D E M.

**C**arissime in Christo Frater: cum incredibili gaudio & fructu animi mei cognovi ex tuis literis, vivere te isthic lætissimum, & miris è Cœlo delicijs perfundi. Quandoquidem, prout experiris, Deus tui recordatur, fac ejus vicissim tu quoque memineris. Cave tedium te subeat quamvis integrati laboris, aut fastidio debilitatus remittas acrem & invictam perseverantiam in beneceptis. Tene semper demissum ante Deum animum in dulci sensu perpetuæ gratiarum actionis, quod elegerit te in officium tam sublime quam istud est in quo versaris. Habet Chartam mandatorum tibi à me traditorum: nihil addo, nihil commendo amplius. Vive memor mei, nunquam non vicissim cogitantis de te. Dic Matthæo: bonus se Filium præstet, experturus me pariter bonum Patrem. attente invigilo in omnes occasions ejus juvandi. Addes: jubere me, vt Dominicis diebus, quando reddet in cœtu Catechesim audientium, quæ vos eum



NOVARVM EPIST. Lib. I. 65.

eum Domi docueritis, adeò voce contendat,  
ut non solùm tota concio exaudiatur, sed ad  
nos quoque qui Manapare sumus pertingat  
sonus. Fac me certiorem de Christianis Tu-  
tucurinensibus quo statu sint; & ecqnid eos  
vexent Lusitani qui illic hæserunt. tum de  
Prætore quid feratur; an is hyematurus Co-  
cini sit. Hic exerere se incipit res magna,  
ingentem pollicens Deo Domino Nostro  
splendidè inserviendi facultatem. Insta pre-  
cibus apud eundem Dominum Deum, ut di-  
gnetur fortunare spes ostensas, maturaréque  
ceptum in opportunitatis optatæ successum.  
Oro te ut erga istam Gentem univerfam, tam  
Primarios & nobiles, quàm p̄lebem infimam,  
præcipui semper amoris indicia exhibeas. in-  
de sine dubio sequetur ut omnes te vicissim  
ament: quod si eris assecutus, pronior erit  
cursus uberiorque fructus ministeriorum qui-  
bus eos ad Domini Dei Nostri perducere no-  
titiam & cultum satagis. Assuesce tolerare  
cum multâ patientiâ infirmitates eorum & ex  
fragilitate lapsus, tecum, clementer spe-  
rando, reputans, Bonos eos, etsi adhuc non  
sint, tamen aliquando evasuros. Quod si non  
planè profectum eorum perducis quò desti-  
naveris, tamen haud te pœnitentia conatus,

E fatis



66 S.FRANCISCI XAVERII

satis accipientem quantulum illud ipsum  
quod extundere potuisti . Ego quidem  
sic me consolor in similibus ærumnis . Do-  
minus Deus sit semper tecum , & det nobis  
suam gratiam , ut semper ipsi serviamus .  
Vale . Manapare **xxii.** Kal. Aprilis Anno  
**XCVI.**

Tuus in Christo Frater .

*Franciscus .*

EPISTOLA XII.

E I D E M .

**C**arissime in Christo Frater . Nullis sati-  
exprimere tibi verbis possem quanto  
urgear desiderio ad vos in istam Oram eun-  
di . Confirmo tibi ut rem verissimam , si  
hoc ipso die contingere copia navis isthuc  
solventis , me continuò profecturum . Nunc  
venerunt ad me tres nobiles ex comitatu Re-  
gis Travancoris , conquerentes de Lusitano  
quodam , quem ajunt prehendisse Patanai  
mancipium istius Principis Iniquitribirim ,  
ac vinctum perduxisse Punicalem , audirique  
ab

